



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXIX. Epistola Conuentus S. Michaelis ad Abbatem Admontensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Epistola Eberhardi Bamberg. Episcopi ad Abbatem Admontensem.*

**B**ERHARDVS Babenbergensis, gratia DEI, si quid est, Venerabili & in Christo plurimum dilecto Domino G. eadem gratiâ Admuntensi Abbati salutem in Domino cum oratione & obsequio. Fatemur, & in veritate fateri cogimur; demembrastis, euiscerastis, & quodammodo excordastis vosmet, in altera vice pro nobis: prius quidem in Abbatissa nobis transmissa; nunc, in Abbate ab ipsis præcordiis paternæ, & germanæ dilectionis auulso pro nobis. Proinde nobis in gratiarum actione deficientibus, Dominus pro nobis retribuatur; & consoletur vos, sicut per vos consolati sumus & nos. Equidem post illud dimidium cordis vestri, quod pridem concretum in spiritu cordi nostro coaluit, & DEO gratias, à vulnere translationis iam benè conualuit. Reliquum nunc cordis vestri dimidium, auctore DEO, non solum nostro, sed & omnium eorum cordibus quibus à DEO datus est, ita influxit, quod dictu incredibile est. Hæc sit vobis consolatio, Pater sancte; & nos habeatis de cætero vnâ cum his membris vestris, quæ nobis in multa charitatis virtute incorporastis, vt alter alterius onera portantes, simus omnes membra corporis Christi in vnitatis Spiritus, qui pro nobis orantem vestram sanctitatem vsq; ad plenitudinem dierum vegetet & conseruet incolumem.

XXXIX.

*Epistola Conuentus S. Michaelis ad Abbatem Admontensem.*

**R**euere[n]tissimo & amantissimo Patri & Domino G. Admuntensium Abbati omnis chorus monachorum S. Michaelis cum instantia orationis humil-



humillimę deuotionis obsequium. Debitas gratiarum actiones, reuerende Pater, sanctitati uestrę profundę inclinando referimus, quod longa orbitate multatos, non vndelibet, sed de corde uestro auulsum Irmbertum bonum, pium, & prudentem Patrę habere fecistis, atque adhuc vt melior, & magis pius, atque prudentior esse debeat, uestrum eum consiliis ad honestatem & vtilitatem Ecclesię nostrę munire atque informare non neglexistis. Omnes enim literę uestrę, siue sororum uestrarum, quę pro ipso ad Dominum Episcopum, siue ad nos directę sunt, nec non & illę, quę ad ipsum secretius uenerunt, quanto discretionis sale conditę, quanta dulcedine, ac suauitate resperşę sint, non facillę valet explicari. Verum hæc omnia, nobis & pro nobis dicta & scripta esse, & Spiritum sanctum auctorem eorum cognoscentes, tanquam salutis nostrę priuilegia publicę ac priuatim ea lectitando satiari non possumus. Sciatis autem, quod multum consolationis in his, atque in ipsius Domini & Patris nostri I. Verbis ac moribus iam dudum acceperunt quidam ex nostris, qui tanquam membra infirmiora circa initium huius rei *trepidauerunt ibi, vbi non erat timor.* Nam quibusdam ex nobis timidis & infirmis, vt verum fateamur, nomen Admuntensium horrore fuit quia de confragosis & saxosis, & montuosis locis uestris nihil dulce, nihil iocundum vel humanum se habituros sperabant.

Verum, quia longę aliter esse, re ipsa experimur, præuenti a vobis in benedictionibus dulcedinis, & desiderium animę nostrę, vobis tribuente, consecuti, in magno tripudio & exultatione cordis nostri, & vos Pater venerande & Domine, locum uestrum, Fratres & sorores uestras, & omnia, quę ad vos pertinent, ipsumq; Dominum ac Patrem nostrum, Fratrem uestrum, intimo ac pleno deuotionis affectu amplectentes, & in timore & amore DEI, quidquid filij ac serui Domino & Patri timoris & amoris exhibere debent, omni subiectionis reuerentiã exhibentes, corde simul & ore decantamus. Viuat anima tua Domine, vt n. u. m. n. p. n. def.

De cetero venerandam paternitatem uestram humiliter

R r

&



& obnixè rogamus, vt, si quo modo fieri possit, in festo Beati Michaëlis Archangeli ad nos venire dignemini, vt quos absentia liter rebus & verbis magnificè ditastis & recreastis, presentia liter abundantius latificetis & consolemini.

XL.

*Epistola Eberhardi Bamberg. Episcopi ad Abbatem de Michelsfeld.*



BERHARDVS, DEI GRATIA Babebergenſis Eccleſiæ Episcopus Venerabili G. Abbati de Michlueld salutem & ſyncerè charitatis affectum. Rogamus dilectionem tuam ſine mora occurrere dilectiſſimo noſtro electo ſancti Michaëlis, & à loco, in quo nunc eſt, cum omni honeſtate deducere in domum tuam, ibique, prout decet, deuotè miniſtrare, vſq; dum nunciū noſtrum acceperis.

XLI.

*Epistola Eberhardi Episcopi Bamberg. ad Abbatem Michelsfeldensem.*



BERHARDVS, DEI GRATIA, Babebergenſis Eccleſiæ Episcopus Venerabili Fratri G. Michelueli Abbati salutem & omne bonum. Proxima Dominica, Domino annuente, Babenberc venturi mandamus, vt vnà cum electo Sancti Michaëlis ibidem ante introitum ciuitatis nobis occurratis, ita vt nobiſcum ipſam ciuitatem ingrediamini.

*Episto-*